

II g
587

AD VIRVM
MAGNIFICVM ET ILLVSTREM
GEORGIVM GVILIELMVM
DETHARDING

I. V. D. CELEBERRIMVM
REI PVBLICAE LVBECENSIS CAMERARIVM
HVC VSQVE MVLTIS MAGNISQVE MERITIS INCLVTVM
A. D. V. ID. IVL. A. D**ob**ccctxv.

CONSVLEM FACTVM
ET VIRVM
NOBILISSIMVM PRVDENTISSIMVM
ATQVE AMPLISSIMVM
IOHANNEM ARNOLDVM
ISSELHORST

IVRIS CONSVLTVM CLARISSIMVM
EIVSDEM REIPVBLICAE PROTONOTARIVM
DIGNISSIMVM AC MERITISSIMVM

EODEM DIE

SENATORIBVS ACCENSVM

EPISTOLA

DIE IP SO QVO VTERQVE INAVGVRA B ATVR
GRATVLANDI STVDIO ET QVO PAR EST OBSERVANTIAE CVLTV

DATA

A

IOHANNE DANIELE OVERBECK

GYMNAS. LVBE C. RECTORE

SOCIETATVM TEVTON. GÖTTING. ET SENENS.

COLLEGA HONORARIO

*Agiur de cura Magistratum Romanorum circa edncandam
civium subolem regum tempore S. rei publicae.*

LVBECAB

TYPIS IOH. DAN. AVG. FVCHSII



VIRO MAGNIFICO ET ILLVSTRI
GEORGIO GVILIELMO DETHARDING

L. V. D. CELEBERRIMO RELIQUA
REIP. LVBECENSIS CONSULI FELICITER ELECTO
ITEMQVE

VIRO NOBILISSIMO CONSVLTISSIMO
ATQVE AMPLISSIMO

IOHANNI ARNOLDO ISSELHORST

EIVSDEM REIP. HVC VSQVE PROTONOTARIO
SENATORVM ORDINI RECENS ADSRIPTO

S. P. D.

IOHANNES DANIEL OVERBECK.



Non magis oportet, VIR MAGNIFICE & ILLVSTRIS itemque VIR NOBILISSIME atque AMPLISSIME, quam ob ipsam hanc observantiam erga VOS meam libet, parere consuetudini, quae dudum est a Maioribus instituta atque observata, qua, quoties CVRIA illustratur Luminibus novis, toties SCHOLA iubetur novis speciminibus edendis suam ostendere pietatem. Quem ego morem, nescio an alias nullibi observandum, vt nolim nunc aut reprehendere, aut praedicare, tamen documentum existimo esse eius rei, quae per se verissima est, maiorem scilicet esse, quam multi credere solent, Curiam inter atque Scholam in qualibet ciuitate necessitudinem. In nobis enim, qui vitam degimus scholasticam, non, vt in aliis, tantummodo beneuolentiae signum studique, sed ipsius pars officii, immo muneris, esse censetur illud, vt novis quibuslibet CONSVLIBVS atque SENATORIBVS, quo die sunt in Curiam introducendi, aliquid gratulandi causa de more scribatur. Itaque fieri illud memini a Scholae doctoribus vniuersis & ad vnum omnibus eo tempore, quo iuuenis olim inter huius Gymnasii alumnos educabar. Postea vero quamquam id posci desitum est ab his magistris, qui caeteris sunt classibus praefecti, non nisi perperam tamen atque indecore putatur omitti posse a doctoribus trium classium superiorum. Quod nunquam profecto aut ita constitutum fuisset a Maioribus, aut retentum in hanc vsque aetatem, nisi iudicaretur etiam nunc & iudicatum fuisset olim, quidquid SENATI feliciter euenisset, id praecipua quadam ratione pertinere ad Scholam, & inter primas curas, saltem primarias, cuiuslibet Magistratus illam quoque esse debere, vt rationem habeat rei scholasticae. Ac vere. Quod enim consentur omnes paullo sapientiores, neque inficias eunt eorum vlli, qui subtilius ista quaerunt,

runt (1), illud est, non posse a quoquam gubernari feliciter atque administrari civitatem, qui non iuventutis pariter curam atque adultiorum in se suscipiat, nec magis perpetuam fore rempublicam sine scholis, quam perennem hortum sine feminario. De scholis loquor publicis, quae constituuntur ab ipsis imperantibus eo consilio, ut ipsorum nomine doceatur atque erudiat iuventus. Quarum necessitatem merito tantam esse iudicant omnes & dudum iudicarunt, quanta est eius rei, quae abesse ac desiderari nullo modo potest. Itaque mansuetiorum gentium atque cultiorum fuit fere nulla, quae non in constituendis urbibus atque civitatibus cogitauerit simul de ludis quibusdam publice audiendis, in quibus quum pietatis quaedam atque virtutis, tum bonarum quoque artium exerceretur disciplina. Ac veteres quidem Hebraeos tam sollicitos fuisse huius rei tradit MOSES MAIMONIDES (2), ut, si quam vidissent urbium suarum publica schola carentem, initio deuoverint, postremo pertinacem spernentemque admonitiones diruerint, eosdemque sibi persuasisse, eatenus perdurare posse feliciter hominum societatem, quoad spirarent pueri, qui enutrentur in schola. Nolo autem exponere copiosius, quae aut de antiqua Persarum gente narrat XENOPHON (3), aut de gentis Aegyptiacae conditoribus, Osiride atque Ifide, DIODORVS SICVLVS (4), aut de Indis STRABO (5), aut de Lacedaemoniis PLVTARCHVS (6), aut de Graecis reliquis praeter PLVTARCHVM (7) v. ci. IOH. PETRVS MILLERVS (8), aut denique de Germanis IOH. DAVID KOELERVS (9). Quae quidem sunt talia, ut mirari saepe subeat, de quibusnam loquatur gentibus idem XENOPHON (10), dum: *plurimae, inquit, ciuitates permittunt institutionem, quae cuique placuerit, suorum liberorum.*

Ego vero liberum illud vix reor vllibi terrarum, qua cultiores viuunt homines, futurum fuisse cuiquam, nisi pars illa Romanae libertatis olim fuisset. Romani enim quoad paruere primo regibus, deinde legibus, non videntur in educanda subole, antequam Imperatoribus subiicerentur, vlla fuisse alia lege adstricti, nisi more maiorum. Quale enim apud eos & quantum quaeso fuit olim in liberis imperium pareatum! Patriam dico potestatem, quae in re publica Romanorum tanta erat, ut omnia simul Magistratuum iura circa liberos quasi absorbere videretur (11). Huic enim parenti,

(1) E. c. HEINECCIUS in Dissertat. de iure principum circa studia ciuium. Halae 1738. 4. AD. RECHENBERGIUS in *Inuentis philosophiae ciuilis* P. II. c. 14. 15. alii. Et VALENTINVS quidem ALBERTI religionis custodiam & scholarum inter maiora refert *Regalia* in Dissertat. de diuisione maiestatis in Regalia maiora & minora. Lips. 1679. 4. c. 11. Th. 9.

(2) Cuius ex *Hilchah Talm. Torah* cap. II. §. 1. haec lego desumpta verba apud summe reuerend. CARPZOVIVM in *Apparatu Historico Critico Antiquitatum* p. 315: In omni ditione, omni vico & vrbe denique omni. constituere silent. qui pueros doceant. In quacumque autem vrbe non sunt pueri, qui ludum literarium frequentant; illius incolas anathemate feriunt, donec constituent ludi magistrorum. Quod si vero ne tum quidem illos instituant, locum illum vastant; quia mundus non subsistit, nisi propter habitum puero- rum scholae.

(3) Cyropaed. Lib. I. c. 2. Conf. ARISTOTELES Ethic. Lib. VIII. c. 10.

(4) Lib. I. p. 9. ed. STEPH. 1559. fol. *περι- μάσαι δὲ παρὰ τῷ Ὀσίριδι καὶ τῇ Ἰσίδι τὰς τὰς τέχνας ἀνευρίσκοντας ἢ μεθ' ὁδοῦντας τὴν τῶν χροσμίω.* Praecipuo in honore habitos esse ab Osiride atque Ifide vel artium inuentores, vel praecipuos rerum utilium. Conf. Liber ille totus passim.

(5) Geograph. Lib. XV.

(6) in Lycurgo. Conf. KRIGELIVS in Dissertat. de Lycurgi legibus, quas Lacedaemone de puerorum educatione tulit. Lips. 1720. 4.

(7) de puerorum educatione & in Solone.

(8) De παιδαγωγία veterum Graecorum Lips. 1735. 4.

(9) De scholis Germanorum. Aldorf. 1725. 4. Conf. de variis apud diuersas gentes puerorum institutionibus ALEXANDER ab ALEXANDRO genial. diar. Lib. II. c. 25.

(10) Vbi supra, αἱ μὲν πλείους πόλεις ἀφ' ἑσῶν παιδεύουσιν, ὅπως τις ἰσθλαί, τὰς ἐαυτῶν παῖδας.

(11) Non sine causa igitur apud SENECAM de beneficiis Lib. III. c. 11. pater appellatur *domesticus magistratus* & apud alterum illum SENECAM *Controuersi*. II. 3. *iudex domesticus*. Patria vero potestas apud LIVIVM Lib. VIII. c. 7. dicitur *maiestas patriae* in oratione Titi Manlii Titum silium condemnantis, & item apud VALERIVM MAXIMVM Lib. VII. c. 7. & apud QVINCTILIANVM Declam. 375. Apud SVETONIVM dicitur in Claudio c. 16. Claudius IMPERATOR iuuenem, quem probri plenum, quod pater probasset, sine ignominia dimiserat, habere, dixit, *Confesorem suum*, eumque ipsum patrem inuuit.

cui ter vendendae prolis ius erat concessum, immo necandae, quis existimet negatam fuisse libertatem educandi puerum, ut vellet? Itaque priusquam minui coepisset haec potestas, quod Imperatorum demum aetate contigit (12), nullam Romae legimus institutam fuisse scholam publicam. Recteque assentitur CHRISTIANVS FALSTERVS (13) CASSIODORO haec narranti (14): *QVINCTILLIANVS ex Hispania primus Romae scholam publicam aperuit & salarium e fisco accepit*. Vixisse autem constat QVINCTILLIANVM ad Vespasiani vsque Imperatoris aetatem. Quamquam enim studium antea, ut in Vallicis (15) & apud Tusculanos, ita apud Romanos, facile credo, *ludos literarum strepuisse discipulorum vocibus* (16), quemadmodum ipsa Appii Claudii decemviri aetate videmus apertos *in foro in tabernis literarum ludos* (17), tamen publicas illas scholas fuisse & a magistratibus constitutas, tantum abest, ut credam, ut potius, si PLVTARCHO fides habenda sit, bono in primis auctori & qui minime contemni solear, horum ludorum magistri ne mercede quidem doctissimi videntur. Ita enim ille (18): *Sero coeptum est Romae mercede doceri, primusque aperuit ludum literarium Spurius Caruilus, Caruilus libertus eius, qui primus cum uxore diuortium fecit*. Vixit autem Appius Claudius Saeculo ab Vrbe Condita quarto (19), Caruilus sexto (20).

Itaque partim seruos existimauerim in his ludis instituisse iuuentutem, herili subiectos, non magistratum potestati, partim liberos homines eiusmodi, qui studio literarum inflammati scholas Romae haberent more Graecorum, de quibus disputauit alias (21), partim denique tenuiores, post Caruilium in primis, atque contentiores, qui, quod in *Kalendariam strenam*, ut ait HIERONYMVS (22), & *Saturnalitiam sporulam* & *Minervale munus* poterant *conuertere*, eo vitam tolerabant. Quos a conuenientibus admissos potius Magistratibus & toleratos fuisse patet, quam a volentibus constitutos. Sane de hominum genere posteriori cogitasse videtur HORATIVVS, ita canens (23):

Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sunt,

Scripturus. Neque, te ut miretur turba, labores,

Contentus paucis lectoribus. Au tua demens

Vilibus in ludis dicitari carmina malis?

Non ego.

Et ad genus idem retulisse Orbiliam (24):

Non equidem insector delendaeque carmina LIVI

Ese veor, memini quae plagosam mihi paruo

Orbiliam dicitare.

Quin eodem in numero habendi videntur illi omnes, quorum ludi erant tales, qualem intelligit QVINCTILLIANVS, ita loquens (25): *Sed in verbis quoque quis est adeo imperitus, ut ignoret genera & qualitates & personas & numeros? Literarii paene ista sunt ludi & trivialis scientiae.*

III

(12) Vid. IOH. GOTTL. HEINECCIJ Antiquitat. Roman. Lib. I. Tit. IX. §. 8. 9.

(13) *Idea Histor. literariae Romanor.* Lib. I. c. 4. quaeft. 3. p. 88. Conf. Lib. II. c. 5. quaeft. 2. p. 182. 199.

(14) in Chron.

(15) LIVIUS Lib. V. c. 27.

(16) Idem Lib. VI. c. 25.

(17) Idem Lib. III. c. 44.

(18) Οὐδὲ δὲ ἤξωντο μισθῷ διδάσκειν καὶ πρῶτος ἀνέωξε γραμματοδιδασκαλείον Σπύριος Καρβίλιος, ἀπέλευθερος, καρβίλιος, τὸ πρῶτος

γραμματον ἐκβαλόντος. PLVTARCH. Quaeft. Rom. 59. Opp. T. II. p. 278. Ffisi 1620. fol.

(19) LIVIUS, vbi supra.

(20) Vid. A. GELLIUS Noct. Att. Lib. IV. c. 3. it. Lib. XVII. c. 21.

(21) in Progr. quo ostenditur, quid si apud Latinos auctores habere scholam more Graecorum. Lub. 1763. 4.

(22) ad Ephes. 6.

(23) Sat. Lib. I. Sat. 10. v. 72. 199.

(24) Epistol. Lib. II. Ep. I. v. 69. 199.

(25) Institut. Orat. I. 4. 27.

Illi vero generi, quod medium antea ponebam, accenseo quum C. ALBVTIVM SILVM, Nouariensem, tum multos alios, qui Romae *auditoria propria instituebant*, vt ait SVETONIVS (26), immo plerosque eorum vel Grammaticorum vel Rhetorum, quorum nomina celebravit duobus libellis idem SVETONIVS (27), numero auxit CHRISTIANVS FALSTERVS (28), vt L. PLOTIVM GALLVM, qui CICERONE puero latine docere coeperat, quemque TVLLIVS ipse licet nunquam audierit, tamen puer concupierat audire (29). Quibus addo A. LICINIVM ARCHIAM, poetam, celeberrimum doctorem discipuli celebrioris, qui huius quinto aetatis anno Romam venerat (30), aliosque Graecos, quorum idem institutione Graecis exercitationibus ingenium aiebat, tantoque opere exsplendescibat inter aequales, vt ab istis honoris causa medius deduceretur e ludo domum, a parentibus vero eorundem tanta ingenii gloria permotis in ipso ludo inuiseretur (31). Addo etiam hos, quos aut HORATIVVS audivit Romae, aut OVIDIVS. Nam & hoc memoratu dignum est, plures vnumquemque discipulum Romae, vel eodem tempore, vel diuerso, doctores habere solitum, ad quos seruis plerumque & custodibus stipatus itaret, posteaquam illi rei factis erat domi nunc a propinqua aliqua natu maiori, nunc a patre ipso, nunc a matre etiam, nunc vtriusque parentis cura a seruo aliquo literato & fideli, praeparatus (32).

HORATIVVS quidem Maecenati, posteaquam modeste gloriatu est de moribus suis atque fortuna, scribere pergit ita (33):

*Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flauo ludum me mittere magni,
Quo pueri magnis e centurionibus orti
Laeco suspensū loculos tabulamque lacero
Ibant octonis referentes Idibus aera.
Sed puerum est ausus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque Senator
Semet prognatus; vestem seruisque sequentes
In magno ut populo si quis videret, auita
Ex re praerberi suntus mihi crederet illor.
Ipse mihi, custos incorruptissimus, omnes
Circum doctores aderat.*

OVIDIVS vero sic de sua canit fratrisque in teneris institutione (34):

*Protinus excolimus teneri, curaque parentis
Imus ad insignes verbis ab arte viros.*

Et

(26) de Claris Rhetorib. c. 6.

(27) De illustribus Grammaticis & de claris Rhetoribus.

(28) In illius libri, quem antea dicebam, appendice, quae inscribitur: Memoriae obscurae clarissimorum quorundam ingeniorum & monumentorum apud Romanos.

(29) SVETONIVS de claris Rhetoribus, c. 3.

(30) CICERO pro Arch. c. 3. l. 5. Conf. FRANTISCI FABRICII Historia Ciceronis per Consules descripta ann. Cic. 5.

(31) PLVTARCHVS in Cic. Opp. T. I. p. 361.

(32) Huc referam verba QVINCTILIANI in Dial. de causis corruptae eloquentiae c. 28. ita de veteri Romanorum disciplina domestica loquens: Iam primum suus cuique filius ex casta parente natus non in cella entiae nutritus, sed in gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat, tueri domum & inseruire liberis. Eligebatur autem aliqua maior natu propinqua, cuius probatis spectatibus moribus omnis suspitium familiae suboles committeretur: coram qua

neque dicere fas erat, quod turpe dictū, neque facere, quod inhonestum factū videretur. Ac non stultia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerozum, sanctitate quadam ac verecundia, temperabat. Sic Cornelian Gracchorum, sic Aurelian Caesaris, sic Atrian Augusti matrem praefuisse educationibus ac produxisse principes liberos accepimus. His gemina fere sunt, quae scribit CICERO in Pruto c. 27. & 58. Idem de sua diligentia in educandis CICERONIBVS pueris, suo fratrisque filiis, testatur ad Artic. Lib. VI. Epist. I. it. Lib. VIII. Epist. 4. & ad Quinct. Frat. Lib. II. Ep. 14. Conferantur, quae loquitur Lydus Paedagogus apud PLAVTVM Baechid. Act. III. Sc. 3. v. 18. 199. item LAVR PIGNORII Commentarius de Seruis Aug. Vindel. 1613. 4. p. 122. sq. PHIL. LYDOV. HANNEKENII Dissertatio III. de cura domestica Romanorum c. 2 §. 4. 5. CHRISTOPH. CELLARII Dissertatio de studiis Romanorum literarum, Halaë 1698. 4. & in Dissertat. viri academici p. 341. 199.

(33) Sat. Lib. I. Sat. 6.

(34) Trist. Lib. IV. Eleg. 10. v. 15. 17.

Et vera sunt, quae scribit QVINCTILIANVS (35): *Apud maiores nostros; iuuenis ille, qui foro & eloquentiae parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus bonestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dissoniis interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus assuescebat, ita, ut altercationes quoque excipere & iurgis interesse, utque sic dixerim, pugnare in praelio disceret.* Vbiq̄ enim aut patres ipsi, aut qui patrum habebantur loco, studiorum erant moderatores a liberis suscipiendorum. Nihil impediabantur, immo ne circumferrebantur quidem, neque a rege vilo, neque a lege. Sed qua quisque volebat disciplina, & quali, & apud quem, impune liberos institui iubebat. Nec enim scholarum habebant vllam constitutam atque confirmatam nomine publico. Sic Romae vivebatur. Qui mos non minus dicendus est proprius fuisse Romanis, quam omnis patria potestas ipsa, de qua ex vero Imperator IVSTINIANVS (36): *Ius, inquit, potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.*

Inde vero annorum varia enata fuerint incommoda, ipsi damnosa iuuentuti, immo rei publicae, nunc disquirere non vacat. Sufficit enim, non sine causa morem istum ab Imperatoribus esse abrogatum. Immo nec fieri potuisse iudicamus per hanc libertatem, ut vnquam res Romana floretet, nisi id praecipua quadam DEI cura, qui maximas res decreuerat Romanorum ope exsequi, contigisset (37). Nec latitum hanc fuisse licentiam, nedum sua auctoritate constitutum aut Romulum, aut successores, aut denique Consules, nisi vidissent initio, quantus esset amor virtutis in ciuibus suis, postea vero radicatam ipsa vetustate vel legem, vel consuetudinem, euellere nefas fuisset. Nam virtutibus quidem gentis huius pristinis testimonium denegare, esset contradicere non modo LIVII verbis illis (38): *Nulla vnquam res publica nec maior, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit; nec in quam tam serae auaritia luxuriaque immigrauerint,* & quae sequuntur, illisque PLINII (39): *Gentium in toto orbe praestantissima vna omni virtute haud dubie Romana existit,* item QVINCTILIANI (40): *Quantum Graeci praeceptis valent, tantum Romani, quod est maius, exemplis,* & AMMIANI & CASSIODORI, quorum ille (41) *Roman imperii virtutumque omnium latissimum templum dixit,* denique libris omnibus a VALERIO MAXIMO scriptis, sed ipsi D. AVGVSTINO (42), quem nemo facile dixerit aut gloriae Romanorum quidquam, quod nimium esset, aut suo erga hanc gentem amori, tribuisse. Minusque sunt ista incredibilia, si cogitamus, quo fato confluxerint quasi & congregati olim fuerint in vnum primi gentis auctores. Qua de re memini alio loco a me esse disputatum (44). Iungamus his rebus Enthusiasmum illum ipsum, quo Romulus omnium animos oppleuerat. Quo ciues, quum cerne-ret inflamaros, ad ardentissimum quoddam studium virtutis eum ipsa communicandum posteritate nulla re alia indigere existimabat, ne artium quidem multarum & literarum scientia, quarum plerumque fanatici homines & per quamdam substitutionem abalienati, ut MÜNZERI, ut BÖHMII, ut ZINZENDORFII, solent esse negligentiores. Sed satis omnia prospere cessura esse sperauit, si metuerent quemque parentem sui liberi, si reuererentur, si omnibus in rebus, non modo honoris causa, sed terroris, sequendum obseruandumque esse arbitrarentur. Ita rex nimisquam valde parentum munuit auctoritatem, liberorum inscitiam, immo ipsam quandam, datam iis a natura, dignitatem desituit, nec de re vlla minus cogitauit, quam ut scholas publicas constitueret.

Verum

(35) in Dial. de causis corruptae eloquentiae, siue de oratoribus c. 34.

(36) Institut. Lib. I. Tit. IX. §. 2.

(37) Vid. GEORGII LEBERECHE WILCKE A. M. Dissertat. de cura DEI circa rem Romanam Lips. 1690. 4. §. 22. sqq. & §. 30. Conferantur, quae scriptis anno superiore de Enthusiasmo primorum regum Romanor. §. 2. p. 6. Etiam moribus suis quodammodo id meritis esse Romanos, ut eorum imperium DEVS auerere, AVGVSTINVS existimat,

quem vide Lib. V. de ciuitate DEI, c. 12. Opp. T. V. p. 303. sqq. ed. FROBEN. Basil. 1569. fol.

(38) in Praefatione.

(39) Histor. Nat. Lib. VII. c. 40.

(40) Institut. Orat. Lib. XII. c. 2.

(41) Histor. Lib. XV. p. 77. LINDENB.

(42) Variar. Lib. IV. Ep. 6.

(43) Quo loco paullo ante dictum est.

(44) de Enthusiasmo primorum reg. Roman. §. 12. p. 26. sq.

Verum ne sic quidem prolis educatio potuit omni Magistratum cura carere, id quod duobus potissimum temporibus declaratum fuit totidemque documentis publicis. Vnum ex AVLO GELLIO (45) libet & FVLVIO VRVINO (46) compilare Senatus consultum LXXI. ante Maricum bellum anno hac fere ratione factum:

C. FANNIO. STRABONE. M. VALERIO. MESSALA. COSS. M.
POMPONIVS. PRAETOR. SENATVM. CONSVLVIT. QVOD. VERBA
FACTA. SVNT. DE. PHILOSOPHIS. ET. DE. RHETORIBVS. DE. EA
RE. ITA. CENSVERVNT. VTEL. M. POMPONIVS. PRAETOR
ANIMADVERTERET. COERARETQVE. VTEL. EI. E. RE. PVBLICA
FIDEQVE. SVA. VIDERETVR. VTEL. ROMAE. NE. ESSENT

Alterum depromam ex eodem GELLIO (47) & SVETONIO (48), quod anno ipso ante id bellum Cn. Domitius Aenobarbus & L. Licinius Craffus Censores ita edixerunt:

RENVNTIATVM. EST. NOBIS. ESSE. HOMINES. QVI. NOVVM
GENVS. DISCIPLINAE. INSTITVERVNT. AD. QVOS. IVVENTVS. IN
LVDM. CONVENIAT. EOS. SIBI. NOMEN. IMPOSVISSE. LATINOS
RHETORAS. IBI. HOMINES. ADOLESCENTVLOS. DIES. TOTOS
DESIDERE. MAIORES. NOSTRI. QVAE. LIBEROS. SVOS. DISCERE. ET
QVOS. IN. LVDS. ITARE. VELLENT. INSTITVERVNT. HAEC
NOVA. QVAE. PRAETER. CONSVETVDINEM. AC. MOREM. MAIORVM
FIVNT. NEQVE. PLACENT. NEQVE. RECTA. VIDENTVR
QVAPROPTER. ET. HIS. QVI. EOS. LVDS. HABENT. ET. HIS. QVI
EO. VENIRE. CONSERVNT. VISVM. EST. FACIVNDVM. VT
OSTENDEREMVS. NOSTRAM. SENTENTIAM. NOBIS. NON. PLACERE

Tertii loco documenti sit illud, quod fecit Cato Maior tum, quam Athenienses ad Senatum legatos de suis maximis rebus misissent, & tres quidem nobilissimos philosophos illius aetatis, Carneadem & Critolaum & Diogenem, idque pergratum fecissent multis principibus civitatis, P. Africano, C. Laelio, L. Furio, aliis, a quibus illi philosophi, dum Romae erant, frequenter audiebantur (49). PLINIVS enim (50): *Cato Censorius, inquit, in illa nobili trium sapientiae procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quam primum legatos eos censuit admittendos, quoniam, illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset.* Vbi annotamus, ipso more maiorum a Censoria interdum patriam potestatem circumscribi solitam fuisse, ut, quando hic idem Cato Censor Manlium Senatu movit, quod esset interdiu praesente filia uxorem osculatus (51), quippe Censores morum magistri erant totius civitatis (52).

Atque etiamsi liceat nonnulla horum, quae dicta sunt, nolim tamen aut in hanc nostram traducere aetatem, aut ad mores hodiernos, aut ad hanc, in qua vivimus, rempublicam, cuius hodierno die felicitatem celebrare par est, non statim curiosius atque mores expendere. Sedit iudices, quorum vel potestatis illud est, vel auctoritatis. Ego VOBIS, VIRI HONORATISSIMI, ac potius rei publicae mihi que, quam adepti estis, dignitatem, superest, ut gratuler.

Iuuat

(45) Noct. Attic. Lib. XV. cap. 11.

(46) Cuius videantur notae ad Leges & Senatus consulta, quae in veteribus monumentis reperiuntur, adiunctae in fine ANTONII AVGVSTINI libro de Legibus & Senatusconsultis, Romae 1583. 4. p. 50.

Conf. SVETONIVS de claris Rhetoribus c. 1.

(47) eodem loco.

(48) quo loco dictum est.

(49) Verba sunt maxime CICERONIS de Oratore Lib. II. c. 37. l. 155.

(50) Histor. Nat. Lib. VII. cap. 30.

(51) PLVTARCHVS in Catone Opp. T. I. P. 346 & in praecip. coniug. T. II. p. 139.

(52) CICERO de Legibus Lib. III. cap. 3. l. 7.

FK 119 587

Iuuenat enim & aetatem iuuaabit meminisse,
VIR MAGNIFICE ILLUSTRIS DETHARDINGI

qua arte, qua iuris peritia, qua fide, humanitate, dexteritate, quo denique clientium amo-
re causâ aliquando susceperis aliorum & pericula priuatus. Deinde ex quo ob istas in-
genii dotes doctrinaeque copiam insignem, & merita, & raras fueras virtutes lectus in
PATRES, & obtinuisti illud antiquum, & nouis decoribus illustrasti. Laudat enim
CVRIA, praedicant Ciues, suspiciunt peregrini, uenerantur externi, extollit tota res pu-
blica excelsi robur animi, incorruptam in iudicando integritatem, egregiam in consul-
tando prudentiam, curam indefessam iustitiae, in expediendis negotiis celeritatem, dig-
nam pectore humanissimo facundi oris hilarisque vultus suauitatem &, quae e vestigio
capit omnes & incendit, affabilitatem, quia vulgo perfectum est, quantum esset studium
Tuum consulendi semper in commune, promouendi, quae decora atque salutaria
essent, euitandi, quae contraria, quanta constantia tuereris saluberrimam illam iuris ae-
quabilitatem, quanto denique ardore foueres innocentiam, merita omnes, punires crimi-
na, homines amares. Scholam quoque non modo semper, tanquam partem aliquam
minime inficiandam rei publicae, sed tum in primis omnia opera & emendare studuisti
& ornare, quam publice TIBI & aliquot COLLEGIS HONORATISSIMIS traditam haberes
atque commissam. Ut taceam hanc, quam & mihi semper immerenti vel publi-
ce ostendisti, vel priuatim, beneuolentiam. Quae sunt omnia eiusmodi, vt merito fau-
stissima quaeuis pro se quisque de hac, ad quam hodie adscendis, dignitate ominemur.
Custodiat TE legum iurisque Custodem DEVS Optimus Maximus omniaque, quae
suscipiuntur a TE, consilia fortunet, vt TE saluo & cum NOBILISSIMA CONIVGE cae-
terisque Tuis omnibus incolumi quam diutissime gaudcamus!

Etiâ TIBI

**VIR CONSVLTISSIME ATQVE PRVDENTISSIME
NOBILISSIME ISSELHORSTI**

gratulor ex animo locum honorificum, quem inter PATRES CONSCRIPTOS Reipub-
licae Lubecensis hodie occupas. Qua ex re dubium non est, quin ea commoda olim
euentura sint, quibus salus ciuium feliciter promoueatur. Dudum enim habuimus cau-
sam, & integritatem animi Tui & dexteritatem intuendi, propterea quod iis muneribus
adhuc caste integreque praefuisti, quae vt optime administrarentur, quam fide optima,
tum prudentia opus est & insigni rerum peritia. Ac quemadmodum iudicatum est ad-
huc, ad res feliciter agendas praeter auitam animi indolem artiumque doctrinam egre-
gie TIBI quam disciplinam profuisse PARENTIS, nunc Caelitibus adscripti, tum quo-
que exemplum, quo pertinet praeter caetera amor rei scholasticae, qui in ILLO candi-
dissimus erat, Tuisque similiter & in dictis cernitur & in factis, ita, quod TANTI VIRI
memoria nemini grato homini & pio intermorigura, Tuis praecipue medullis haerebit
semper infixâ, non sperandum est modo, sed & confidendum, fore, vt gressus Paternos
insequendo omnium merearis applausum, dum bene meriturus es de omnibus. Faxit
Optimum Numen, vt annos quoque assequaris EIVSDEM vtque vna cum CONIVGE
EXOPTATISSIMA omnibusque, qui vel Familiae sunt Tuas, vel Agnationis, in seram
vsque senectutem agas semper prosperrime!

Valete, VIRI reuerenter atque obseruanter COLENDI, nobisque & studiis nostris
& in erudienda iuuentute conatibus fauete.

Dabam Lubecae, ad III. Non. Iul. A. d. CC LXV.



no.

AD VIRVM
MAGNIFICVM ET ILLVSTREM
GEORGIVM GVILIELMVM
DETHARDING

I. V. D. CELEBERRIMVM
REI PVBLICAE LVBECENSIS CAMERARIVM
HVC VSQVE MVLTIS MAGNISQVE MERITIS INCLYTVM
A. D. V. ID. IVL. A. 1666. XV.

CONSVLEM FACTVM

ET VIRVM

LISSIMVM PRVDENTISSIMVM
ATQVE AMPLISSIMVM

NNEM ARNOLDVM
ISSELHORST

VRIS CONSVLTVM CLARISSIMVM
DEM REIPVBLICAE PROTONOTARIVM
DIGNISSIMVM AC MERITISSIMVM

EODEM DIE

ATORIBVS ACCENSVM

EPISTOLA

SO QVO VTERQVE INAVGVRABATVR
STVDIO ET QVO PAR EST OBSERVANTIAE CVLTV

DATA

A

ANNE DANIELE OVERBECK

GYMNAS. LVBEC. RECTORE

DIETATVM. TETTON. GÖTTING. ET IENENS.

COLLEGA HONORARIO

*Magistratum Romanorum circa educandam
subolem regum tempore S. rei publicae.*

LVBECAE

TYPIS IOH. DAN. AVG. FVCHSII.

